



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Ferrariensi, Papiensi, & Placentino Episcopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

quò minùs opportunè per nos & alios Ecclesiæ Romanæ devotos adjuti, utrumque favente Deo ad optatum perducamus effectum. Datum Feretini xiiii. Kal. Augusti.

**FERRARIENSI, PAPIENSI,
& Placentino Episcopis.**

Epist. 88.

Inter activæ &c. usque Lombardiæ, per vos, qui nobis nullo mediante subjecti vinculo estis fidelitatis astricti, & ob hoc apostolicæ sedis negotia fiduciùs vobis committimus exequenda, consilium & auxilium venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum & dilectorum filiorum Rectorum, Potestatum, Consulum, Marchionum, Comitum, & aliorum nobilium Lombardiæ duximus requirendum. Ideoque fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus & districtè præcipimus quatenus eos ad locum idoneum convocantes, inquiratis & simul ab omnibus & seorsim à singulis, secretè tamen & cautè, quid sentiant & quid velint super capitulis memoratis; & id nobis tam per vestras quam per eorum literas fideliter intimetis, vestra quoque consilia subribentes. Taliter autem mandatum apostolicum impleatis quòd super hoc sollicitudinem vestram debeamus meritò commendare.

**POTESTATI ET CONSULIBVS
Mediolanensibus.**

Epist. 89.

Cum super facto imperij jam pridem novèritis mentem nostram & consilium vestrum nobis per literas vestras duxeritis exponendum, miramur quòd adesse nobis hæctenus neglexistis; præsertim cum pro certo noveritis quòd nobis vir Philippus Dux Sueviæ progenitorum suorum inhærens vestigiis, ad depressionem civitatis Mediolanensis intendat, & carissimum in Christo filium noster illustris Rex Otto in Romanorum Imperatorem electus inclitæ recordationis Henrici Ducis Saxonie patris sui, qui etiam contra mandatum imperij vestram dilexit pro viribus civitatem, sicut plenius id novistis, exempla securus, ad honorem vestrum & augmentum aspiret. Non ergo deberetis finem negotij, quasi sedentes à longè, taciti expectare, ne inde amittatis gratiam Regis ipsius unde non possitis Ducis benevolentiam obtinere, quòdque Rex vobis ad negligentiam, Dux imputet ad vindictam, utpote qui vestram novit plenius voluntatem. Licet ergo super facto imperij venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, dilectorum quoque filiorum Rectorum, Potestatum, Consulum, Marchionum, Comitum, & aliorum nobilium Lombardiæ consilium & auxilium requiramus, vos tamen per speciales literas, secretò tamen & cautè, duximus visitandos, nobilitatem vestram monentes & exhortantes attentius & per apostolica vobis scripta mandantes quatenus taliter, cum possitis, hoc negotium dirigatis quòd ad honorem apostolicæ sedis & vestre civitatis augmentum nostrum & vestrum desiderium felicem exitum sortiatur; scituri pro certo quòd cum tempus imminet opportunum, non parcemus laboribus nec expensis quò minùs opportunè per vos & alios Ecclesiæ devotos

adjuti negotium ipsum auctore Deo ad optatum perducamus effectum.

SALZBURGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 90.

Ad usitatum fallendi speciem assueti fallacie recurrentes, quòd viribus nequeunt, nituntur fraudibus obtinere, & falso asserunt quòd verè nequeunt affirmare, auctoritatem sibi ex mendacio mendicantes. Verùm quia frustra jacitur rete ante oculos pennatorum, prævalere non poterit falsitas apud eos qui veritatem diligentius investigant, nec robor ex fallacia sortietur qui cum fallere velit proximum; fallit potiùs semetipsum, quia cadent pariter figulus & figmentum. Sanè ad nostram noveris audientiam pervenisse quòd Sueviæ Dux Philippus, ut corda Principum carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo faventium infirmaret, & ex simulato favore nostro robor aliquod obtineret, fecit per Theutonium divulgari quòd dilectum filium Priorem Camaldulensem ad ejus præsentiam miseramus, cum ad coronam imperij evocantes. Ceterùm, ut coram Deo sub testimonio conscientie nostræ loquamur, nec Priorem prædictum nec alium ad Ducem ipsum duximus destinandum; sed Priorem eundem ab eo missum recepimus offerentem plura & plurima referentem sub testimonio litterarum quas Dux ipse sigillo fecerat aureo roborari; cumque idem Prior ex ejus parte proponeret coram nobis quòd paratus erat ad mandatum Ecclesiæ Romanæ redire, à nobis non potuit responsum aliud extorquere nisi quòd cum redeuntibus ad Ecclesiæ gremium nolimus aditum veniæ denegare, prompti eramus eum recipere sicut quemlibet pœnitentem. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamur attentius & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus quicquid malitiosè fingatur, quæcumque immisiones per angelos malos fiant, non credas quòd à constantia mentis nostræ tam leviter recedamus & quòd velimus in duabus viis inæqualibus gressibus claudicare. Nullus ergo de nobis suspicetur hujusmodi levitatem, cum non fuerimus hæctenus in proposito nostro leves, nec apostolica sedes, quæ in petre illius est firmitate fundata de qua dicit Apostolus, *Petra autem erat Christus*, quæ maturè disposuit, de facili solet revocare. Ad hæc, licet de te quædam nobis fuerint sinistrè suggesta, nos tamen de tuæ devotionis constantia indubitata fiduciam obrinentes, fidem suggestis nolimus adhibere; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes quatenus in fidelitate stabiliter perseverans, ea semper efficias quæ ad honorem & profectum ipsius debeant provenire, ut & nos commodis & augmentis tuis efficaciter intendere teneamur. Datum Feretini v. Idus Septembris.

**ILLVSTRI REGI OTTONI IN
Romanorum Imperatorem electo.**

EI qui mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit, faciens in tentatione proventum, quas possumus gratiarum exsolvimus actiones quòd non est oblitus inutilis servi sui,

Epist. 91.

Vide Raynald,
ad an. 1103,
§. 28.